


ANGELI
SPANNOCCHII.
ORATIO.

3

*Habita per eum Bononia, in sua schola magna, cum
primum ascendit locum illum eminentiss.
Iurisdictione docendi gratia.*

Prima die Mensis Martij. MDLXXXVI.

Ad Perillustres Quadraginta Viros.
S. P. Q. B.



BONONIAE, Apud Ios. Ruffium. MDXXCVII.
Curia Archiepisc. & Inquisit. Concessu.

2 400 40
Stella

3

ANGELI
SPANNOCCHII.
ORATIO.

*Habita per eum Bononiæ, in sua schola magna, cum
primum ascendit locum illum eminentiss.
Iuris civ. docendi gratia.*

Prima die Mensis Martij. MDLXXXVI.

Ad Perillustres Quadraginta Viros.
S. P. Q. B.



BONONIAE, Apud Io. Rossium. MDXXCVII.
Curia Archiepisc. & S. Inquisit. Concessu.

AD PERILLVSTREM
ORDINEM.

SENATORVM BONONIENSIVM.

ANG. SPANNOCCHIVS.

L. C. F.



Vmeam ergo vos (Senatores clarissimi) quoquo modo testatam omnibus facerem obseruantiam, nulla unquam mihi sese obtulit oportunitas. Et tamen concordēs illæ vestrorum omnium de me sententiæ, quibus publicum hoc docendi munus, & antè biennium honorificè decreuistis; & actis proximè diebus, honorificentius in septennium confirmastis; videntur à me grati saltem animi significationem efflagitare. Deliberaui igitur Præfationem illam ad perillustrem Ordinem vestrum dirigere typis excusam; quæ primùm à me habita; à vobis autem & per vos nata fuit, eo tempore quo me in hanc præcelsam docendi sedem humaniter adsciulistis. Hinc enim facile percipient omnes bonarum artium studiosi, eundem mihi semper de vobis probari sermonem, quo tunc vobiscum egi. Valet.

Dat. Bonon. XIII. Mens. Iunij. 1587.

ORA-

ORATIO.



QVM statuissem id quod erat huius temporis (Illustriss. ac Reuerendissimi Cardinales, & Procères, admodum illustres Senatores; Viri Ciues, vosq; Auditores optimi, quotquot ad eitis) quædam apud vos hodiè dicere de sanctissima Iurisprud. de huius inclitæ ciuitatis, eiusque supremi senatus dignitate, deq; muneris in me collati amplitudine: accidit mihi, quod ferè accidere solet ijs, qui nunquam antea soliti nauigare, aliquem in locum traiecturi, ad littus primum accedunt, vt se naui, ventisq; permittant: sed vbi tantam, ac tam late patet altissimi pelagi vastitatem sunt conspicati, non ausi nauim conscendere, pedem retulerunt; terrestri itinere profecturi, quando per medias vndas traicere dubitarunt. Sciebam equidem præsentem diem illustrissimum hunc confessum, omnes deniq; studiosos, & mereri & expectare luculentissimam orationem, ab homine præsertim nouo, de quo preclarum aliquid fortè conceperunt. Sed cum de ipsa Iurisprudencia, tot præclarissima extare cognoscerem; totq; ornatissimè recitata vide-

2 2 rem,

rem, cumq; id meis humeris pondus impar animaduertentem, perterritus hoc itinere, alio tendendum mecum animo cogitavi; valde honestius existimans desinere, quam deficere. Eoq; facilius meum illud mutavi consilium, quod me sciebam apud vos esse dicturum (Doctores, & Patres eminentissimi) qui non solum propria virtute docetis, quid valeat, in hac Pontificia, ac verè felici ciuitate; Iurisprudentia; sed à quibus ipsis illa promanat, in quibus (inquam) solis tota residet, atq; consistit. Existimaui etiam fore me satis excusatum, qui coactus fuerim, è Salerno repente Neapolim, inde Romam, mox verò Bononiam proficisci, sæpe mutatis equis: eò sanè tempore, quo potissimum quiescere debuissim, & huic soli negotio superesse. Agitatus deinceps longo, & importuno itinere, mercenarijs equis pessimè laceratus, extremis frigidibus magno sanitatis periculo læsus, rebus domesticis componendis planè distractus, non solum perficere quod optabam non potui; sed ne quidem incipere quod debebam. Omissis igitur splendidæ orationis artificio, Cosmographos imitabor; qui dum terrarum orbem vniuersum, vnius perexiguæ tabellæ spatio cupiunt pingendo

do cõplecti, solent summo ingenio, summaq; industria, ita contrahere, atq; minuere singulas regiones, & partes, vt paruulus ille locus fiat omnium capax; aliquo sanè detrimento magnitudinis, nullo tamen dispendio veritatis: Sic & ego, cum immensum illud orationis argumentum mihi proposuissim, quod ne longissimo quidem adsequi sermone possim; curabo, vt sic exponatur, quasi dicere non valuerim, & reticere noluerim, quicquid mente concepio, sicq; minus illud absoluaui, plura sentièdo, quam dicèdo. Nec enim Iurisprudentiæ dignitatem, & amplitudinem me verbis adæquaturum existimo; quin potius arbitròr, omnes, qui vbiq; sũt eloquentissimos homines, si comuni studio ad hanc celebrandam, quicquid habent indicendõ virium, conferrent, omnia tamen illius dignitate inferiora dicturos. Siquidem constat iuris ciuilibus scientiam, cum primis in qualibet ciuitate contendere, imò verò reliquas omnes facile superare; vel hoc solo nomine, quod cum Dei donum existat, sola docere potest quod homines sumus, sic. n. Rex & propheta summus testatur dum Deum alloquitur dicens. *Constituere legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam homines*

sunt. Per hanc tanta ciuibus authoritas comparatur, tanta fides aquiritur, vt nemo sit omniū, qui non libenter modò, sed precibus etiam, ac præmijs adhibitis nõ cõmittat Iurisperito fortunarum omnium suarum, & capitis quoq; discrimen: vt meritò apud priscos ipsæ domus Iuriscõsultorum, quasi quoddam ciuitatis oraculum dicerentur. Quod si tantus honor cum ipsa morū probitate iungatur, (Dij boni) quid non efficiet pro cõmuni hominum vtilitate? quas opes non comparabit? Etenim agellus erit (quamuis exiguus) si fuerit diligenter excultus, vndè omnia cõmoda honestissimè promanabunt. Inuenientur ibidem cuncta, quibus & se rueri viuente, & post funera quoq; immortalē possit quisq; se reddere. Hinc herbas efficacissimi succi licebit colligere, quibus per media mōstra ad aureū vellus tutissimè penetret. hinc molyb herbam Homericam leget reperi-
tu difficilem, contrà omnia Circes veneficia antidotum præsentissimum. Hinc vel aureum surculū, qui sua consilia bene fortunet; vel aureum ramum decerpit, quo etiam inferos possit adire tutissimus: hinc aderit fons ille diuinus, cuius vndis, si subindè mentis artus tetigerit, ad

om-

omnia proculdubio importunissima fortunę tela fiet, quasi Achilles alter impenetrabilis. Sed non est quòd plura de Iurisprudencia dicantur, de qua nunquam potest deficere, quod dicatur, dum non potest satis esse, quod dicitur. At verò dum alteram orationis destinatę partē aggredior; longè maiores me difficultates pauidum, ac vagillantē efficiunt: dicturus enim de huius præclarissimæ ciuitatis maiestate, deq; admodū illustri Quadraginta virorum collegio, in quo tota penè ciuitatis amplitudo virefcit; vltimā eius laudem non video, primam verò ex innumeris, quæ mihi certatim veniunt in mentem, eligere non præsumo. Sicq; mærens subsisto, non secus ac virgo soleat, quæ in medio quopiam campo, floribus egregijs hinc inde refer-
to consistens, coronam intexere cœpit; & dum singuli se se flores ostendunt, quasi cupientes diuelli præ cæteris: inops ipsa consilij, decerpit tandem paucos sine delectu; mæsta satis quòd exiguo temporis spatio omnes colligere nequeat. Quia verò vos ipsi me acciuitis; quia prompto animo, frequētissimoq; cœtu conuenistis; quia deniq; apud vos, & vestra potissimū causa, no-
stra hæc habetur oratio: dicam vobis quod di-

2 4 uus

uus Gregorius Nazianzenus, Bizantinis suis dicere solitus erat: Vos magnæ ciuitatis magni ciues estis; & ciuitas hæc uestra inter alias ciuitates docendi principatum tenet, semperq; tenebit; ideòq; docentium ciuitas meritò nuncupatur: Vos hoc totum testimonio uestro confirmate, vos mihi defensio, vos testes, & gloriæ corona. Hæc Nazianzenus. Sed longè maior uestræ huius ciuitatis gloria est. (Bononienses) quòd fuit, & est, & erit semper amplissimorum Cardinalium, summorumq; Pontificum fœcunda mater, & nutrix; quòd antiquitate, nobilitate, studiorum cultu reliquas omnes non Italiæ solùm, sed totius penè terrarum orbis antecellit: referta optimis integerrimisq; ciuibus; doctissimis uiris iam pridem defunctis, & adhuc uiuentibus apprimè clara; hac demùm famigerata schola notabilis. Nequè validiorem ego me sentio, si de singulis uobis (Patres, & Senatores eximij) ea dicere uelim, quæcunque posset artifex eximius quisquè dicendi: in omnibus enim uobis habeo quod admirer; in nullo prorsus habeo, quod deiderem. Ut ergo pictor cui in exigua tabella ingens aliqua hominum multitudo exprimenda est;

non-

nonnullorum vultus tantùm atq; ora; multorum summa modò capita refert, reliquum uerò corpus abscondit: ita ego cui innumerabilia Bononiensium facta nobilium æternis dignissima laudibus, in angustum breuissimæ orationis curriculum concludenda essent; multa, quæ si explicarentur, incredibilem admirationem excitarent fui; delibare modò, & attingere; multa item significare potius, quàm ostendere; pleraque etiam prorsus occultare, mecum ipse deliberaui. Illud uerò in primis præterire nec uolo, nec ualeo, quod nullus est hodie locus in terris tam inaccessus, tam ab omni hominum consortio remotus; quò non huius excellentiæ ciuitatis, non huius generosi Senatus fama peruaferit; nulla gens, nullus populus, nulla hominum natio, uel tam immanis, & Barbaras; uel tam exulta disciplinis, & artibus; quam non iam pridem florentissimùm hoc Gymnasium, non gloria modò, ac splendore, uerùm etiam admiratione compleuerit. Una est omnium uox, uiros esse consultissimos huius ordinis, doctrina simul, ac pietate, rerumq; experientia celebres: quos tamen non maiorum imagines, non magnitudo diuitiarum,

qui-

quibus abundant; non eblanditæ principium
 cōmendationes, quibus haud quaquam egent;
 sed propriæ virtutes extollūt. Vbi enim maio-
 ri libertate sententia dicitur? vbi minùs ad gra-
 tiam agitur? vbi nam vera rectaq; constantius,
 aut animosius defenduntur? Vbi generosius?
 vbi religiosius viuitur? Vbi sanctissimis Pasto-
 ribus, atq; Præsidibus maius præstatur obse-
 quium? Vt autem paucis verbis multa comple-
 ctar encomia; nullus est vestrum, in quo non
 semper reperiant docti boniq; quod imiten-
 tur; in quo quidquam reperire possint inertes,
 & improbi, quod calumnientur. Superauit igi-
 tur hominum cogitationes gloria vestra: &
 quemadmodum Olympi cacumen quietum
 semper Poetæ dixerunt; eò quòd altius sit, quã
 vt illuc vis ventorum, tempestatumquè perue-
 niat: sic ea nunc sublimior, & excelsior est,
 quàm vt furentium, ac vitiosorum hominum
 caliginosis machinationibus valeat obscurari:
 cuius etiam splendor me nunc dicentem excæ-
 cat, adeò vt auertenda mihi sit ab ipsius intui-
 tu, ceu à sole quodam, acies mentis, & oculo-
 rum. Quamobrem ad postremum quod ini-
 tio proposueram, sermonem meum conuer-
 tam;

tam; & de huius in me collati muneris magni-
 tudine, paucis agam. Hæc verò pars orationis
 non dirigitur ad vos (Patres, & Doctores exi-
 mij, in quibus tãtæ dignitatis exemplar cumula-
 tissimum continetur: sed quasi ex vobis ipsa
 prædiens, tota ad me pertinebit excitandum, &
 deterrendum. Vestro primùm munere factum
 est (Senatores) vt sim hodiè consecutus, quod
 vix vnquam optare potuissem; nempè vt in hæc
 loca venirem; vt hanc regionem viderem; quæ
 sola à Deo Opt. Max. largissimè consecuta est;
 quicquid omnes aliæ simul desiderare videntur:
 imò quæ singula singulæ tantùm non habent
 meliora, hæc vna intrà suos fines omnia com-
 plectitur. Terra enim minimè contumax, fer-
 tilis, & omnium frugum feracissima, vltro se se
 cultoribus præbet, magno mox cum scœnore
 redditura: planicies, montibus, conuallibus-
 què distincta tam benè, tanto naturæ artificio
 composita; vt vix hominum manu pulchrior,
 vix vberior; aut pingi, aut fingi posse videat-
 ur. Fecistis etiam, vt huic famigeratæ scholæ
 præsum; quò studiosa nobilisque Iuuentus, ip-
 sius fama ac celebritate permota, ex vltimis
 etiam Hispanijs, ceu ad ciuilibus Sapientiæ to-
 tiusq;

tiusq; Philosophiæ emporium quoddam, certatim confluit; Poëticum illud assiduè clamitans.

Hic secura quies, & nescia fallere Vita.

Cuius quidem Gymnasij decus, & dignitatem licet sustinere, & augere perse soli possent viri doctissimi, & Professores eloquentissimi Bononienses; quorum hic plurimos adesse prospicio, qui cōmodissimè possent aliorum quoquè scholas, quantumuis celebres illustrare; malunt tamen (quæ singularis est eorum bonitas) extraneos adsciscere, propriisque sumptibus alere; vt eos humanitate, collatisquè muneribus sibi deuinciant; sicq; fiant ipsi apud exteras gentes etiam gloriosi. Cæterum siquis est qui miretur, quòd mihi tale fuerit munus delatum; quòd ego (inquam) sedem hanc occupauerim, in qua clarissimæ huius ciuitatis amplitudo, & antiquissimæ huius scholæ celebritas, pro maiori sanè parte videtur consistere: fecerit (fateor) quod fecit annosa illa pinus, quæ cohærentem sibi cucurbitam paucissimis diebus, ad suam ipsius altitudinem peruenisse prospexit, ad quam pinus ipsa vix centum annorum spatio potuerat peruenire. Verumtamen desinet (vt arbitror) admirari, cum primum

num nouitatis huius rationem, & causam intellexerit. Et quidem quod Io. Angelus Papius discefferit, non est dignum admiratione: tum quòd is ad maiora natus, hanc docendi prouinciam non debuit longius inire; tum quòd ob egregias animi sui dotes, insignesq; virtutes, altiore, nobilioremq; sedem, cum optare, tum adsequi meritò poterit. Quòd verò ipse locum illius insperatò subierim, non sine omni prorsus ratione contigit; si rem ipsam cum temporis, & personarum occasione iūgemus: si enim tantopere Io. Angelum dilexistis; nonnè omni conatu debuistis Angelū saltem ipsum quòmodo recuperare? Quoniam verò hoc ipsum memorabili quodam præuio accidenti perfectum est; cōstitui vobis narrare breuiter, quid mihi antè paucos menses Salerni contigerit: ita enim cessabit admiratio vestra, & hæc erit omnibus (vt arbitror) narratio iucūda. Dum rerum mearum statum mecum ipse reuoluerem anteaëctis æstiuis noctibus (quod sæpe à cæna facere Salerni solitus eram) occupauit me sopor grauissimus: & quasi adhuc dormiendo pergerem in eadem familiari meditatione; videbar mihi pulchrum, sed difficilem cursum arripuisse

puisse, ut metam quandam, non adhuc bene cognitam festinanter attingerem. Et cum apertus esset campus; statutiq; cursus maximam partem satis foeliciter perfecissem: occurrit mihi velocissima quaedam, & prorsus ignota mulier, quae pulcherrima sane videbatur aspectu; & quoniam quasi mox fugitura me amanter aspexit, incredibili eius capiendae cupiditate affectus sum: quod neque ipsa reluctabatur; quia tamen ob velocitatem eximiam, non poterat figere pedes; cruciabar ego vehementer, quod tam amabili preda, ac tam precipiti frui non possent. Dum vero sic totus ardeo, ecce video propinquam illi puellam mirae iucunditatis, viridi ornatam velte; & haec quasi opem datura mihi, statim hilari fronte accedit; & cur non amplectar, quam amare coeperam, acriter increpat; se ipsius esse ancillam enarrat: ac proinde non magno labore posse me (si pergam) ea potiri suaviter: contra vero si tunc confestim non arripiam, nunquam alias eadem potiturum: fugitivam enim, atque precipitem esse, nec non sponte sese hominibus dare obuiam; si vero non capiatur, longius abire solitam. Quibus ego verbis incensus, statim propero, volito circa illam,

me

me varijs modis mire contorqueo; ut passos eius crines apprehendam. At vero cum iam iam manibus eam attingerem, prodijt ex occulto tramite vir quidam horridus, & inhumanus aspectu, qui clanculum me reluctantem, atq; perterritum adoritur; & infestis manibus suis mihi vtrunque brachium vehementer a tergo perstringit; ut vix respirandi facultatem haberem; tum in aures meas stridula voce, & horribili quodam accentu clamavit: Quid tentas (miser) perniciem & exitium tuum tibi tanto labore perquirere? contemne fallacem faeminae pulchritudinem, & ancillae ipsius illecebras repelle fortiter; si enim sectaberis, diurnum tibi, nocturnumque laborem parabis, quo nunquam poteris vastissimum vtriusque mulieris desiderium explere: perge cursum inceptum, cum enim ad metam ipsius perueneris, iucundissimam quietem, & animi libertatem dulcissimam adlequeris. Quo sermone monitus ego simul ac terrefactus, magno conatu dirum illud numen excutio: eodemque tempore nouum aspicio portentum. Siquidem video Iuuenem quemdam mirae longitudinis, languidum, ac penes defessum; membris tamen robustissimis, iustamque

stamque

stamq; magnitu linem longè superantibus, erat autem ipsius truculenta facies, sordidi capilli, squalida, & obsoleta vestis, mirificè ornata spinis, aculeisque teterrimis: isquè nō admodum grato vultu, eoquè sudore madenti in me conuersus; nutu, gestuquè mihi videbatur opem laturus: statimquè tacitus, manibus suis oblongis, medium illum carpit, qui à lacertis meis dudum pependerit, ac mirabili celeritate in nemus propinquum abigit. Quamobrem lætus ego, non minus quàm perturbatus, dum torpentia ferè membra protendo; ac suffocatum penè spiritum moribundus excipio, à somno sum excitatus. Nec quidquam super ijs cogitans, cum propè dies instaret, accitis famulis, acceptisque vestibus meis exercèdi corporis gratia, summo sic mane prodeo; quod ètuo illo tempore, pro fanitate tuenda ex medicorum consilio sepius faciebam. Nec ab ædibus longo tractu recesseram, cum fit mihi puer obuius cum fasciculo literarum; quibus acceptis, ac intereundum perlectis, intelligo tractari iterum in Bononienti Senatu negocium illud, quod iam ferè per triennium resederat; de subrogando scilicet viro in locum Papij professoris: meumquè

nomen

nomen cum cæteris honorificè circumferri: dici non potest quantum ego tunc fuerim admiratus, præcipuè tamen ad mentem reuocans, quod proxima mihi nocte contigerat. Confecta interim deambulatione, dōmum me conuuli; & studiorum causa musæolum meum ingressus, repetens quod in somnis euenerat, obferuui quiescentis animi præsigium, ac futuræ huius vaticinium nouitatis. Coniectabar enim cursum illum à me bona iam ex parte confectum, nihil aliud indicasse, quàm annos quindecim, & vltra, in Salernitano Gymnasio peractos: fœminam illam pulchrâ, & fugitiuam occasionis huius prætulisse personam, cuius ego capiendæ desiderium ingens, non obscure sentiebam; utquè mihi facilius eius videretur adeptio, se se obtulit oportuna spes, quæ mihi velle viridi, placidoquè vultu in somnis adstiterat. Mox pergens hanc rem cogitare, insurgens molestus & inimicus timor, quo statim me totum deuinciri, clanculum sentiebam; ita ut spem omnem amitterem huius occasionis accipiendæ; & hunc intelligebam virum illū horribilem, & inhumanum, qui à tergo prodians dormientem me brachijs detinuerat; at verò

b statim

statim me liberatū sentio ab huius timoris aculeo, cum ad laborem animum meum conuerto: existimans, eo mediante, procul omnem timorem abijcere; quamuis probè noscerem, illum fore spinosum, longum, & perdifficilem; non secus ac mihi dormienti opem daturus occurrerat. Qua quidem somnij coniectura, & expositione contentus, cœpi maturius adhibere mentem huic negotio, & mecum ipse differere, quid agendum si talis occasio persisteret? Et in varia distractus animus, nunc huc, nunc propellebatur illuc, contrarijs penè rationibus. Etenim principiò magna spe ductus plurimùm optabam locum istum ascendere; sperabā quippe futurum, ut ex hoc ad nonnullam hominum famam, meus hic pomeridianus labor proflueret: plurimùm inflamrabar, quòd amicorum optimorum alacritatem maximam, in me præ ceteris deposcendo cognouerā. Nec quidquam videbatur optatius mihi contingere posse, quā ut vniuerso studiosorum ordini, quandoq; Bononiæ præessem: sperabam studiorum grauissimorum dignitatem quotidianis laboribus, atque assiduis vigilijs meis tueri me posse; vestreque omnium expectationi, ac vestris de me iudicijs

dicijs respondere. Quamuis autem hæ plurimùm me rationes excitarent, & ad tantum onus sustinendum accenderent; protinus tamen inciderunt multa in mentē, quibus in contrariam animi sententiam propellebar. Versabatur ante oculos, non tam suscipiendi magnitudo muneris, cui me iam longa exercitatione aliquantum assuefeci; quàm nobilissimæ huius Ciuitatis amplitudo, atque celebritas: vbi me intelligebam in eum locum succedere oportere, quo in loco cum præsentī ætate Papius; tum exactis temporibus alij summi viri, magna cum ingenij, atque doctrine laude floruerunt, Parisius; Alciatus, Sozinus nepos, Nicolaus ab Armis, alijq; legum proceres; quibus (maxima hac ingenij mei imbecillitate) vel pro parte aliqua respondere posse, impudens est sperare; optare autem vix hominis illius, qui grauissima sapientium virorum, idest Bononiensium iudicia pertimescat. Accedebat ætatis meę ratio, quæ fortè doctrine multū detrahens primo cōsuevit aspectu: animaduertebā quoq; maximum fore discrimen inter Salernitanos ac Bononienses labores. Quare illud mihi tacitus obijciebam, quod Archidamus Lacedemoniorū rex dixisse

fertur ad filium suum, temerè pugnantem contra Athenienses; aut vires tibi sunt augendæ, aut audacia minuenda. Quibus omnibus hinc, atq; inde per multos dies vrgentibus, in ancipiti relinquebar, quid mihi agendum esset, si mea fortassis opera peteretur. Verù enim uerò cū ad Nouembris initium, nouę mihi literę redderentur; quibus non solùm decreuisse Senatū tale mihi munus deferre constabat; sed etiam pœnali stipulatione conualidasse decretū: erectus est mihi confestim animus, sicq; omni timore excusso, laboribus tantū, ac vigilijs meis confusus, constitui ratā habere stipulationem; maximè præmētib; me ad id amicis, & cognatis id ipsum assiduè poscentibus. Nec me deteruit amplius ingenij imbecillitas, vel ætatis, nequē tractandarum rerum summa difficultas, atq; subtilitas: quia consolabar ex eo, quod in arduis rebus crescit hominum gloria; & (quod dicebat Democritus) audacia principium actionis est, fortuna verò dominatur fini. Sicq; quod antè precatus eram à Deo Opt. Max. vt in hoc munere subeundo possem huic inelytæ Ciuitati gratificari; idipsū nuper, admodum Illustrium Senatorum munere, sum cumularissimè consecutus.

cutus. Est enim mihi publico Decreto permiffum; non solum, vt in hac pacatissima vrbe profitear; sed ita permiffum, vt multò plus amplitudinis, atq; ornamentorum egregia huius delatio muneris secum adtulerit; quàm res ipsa utilitatis, & commodorum. Video enim, quod me, nulla profus doctrina clarum, imò ignotum ferè, & adhuc ingloriū; vnanimi consensu, non vocastis modò, sed etiam honestū stipendium cum viatico decreuistis; cuius ego beneficij memoriā conseruabo æternam; & curabo (quantum in me erit) ne in ingratum, & profus immerentem, videatur esse collatum. Ad labores igitur ingentes accitus venio; atq; in hunc locum ad docendi officium ineundum, publica primū ductus autoritate, conscendo; sed (si verè dicam) maximo cū timore: corona enim hæc vestrum, atquē frequentia me commouet, ac pertubat; qui acerrimo huius eruditissimæ multitudinis iudicio, in hoc studiorum genere debeam satisfacere. Sed tamen, qui me frequēs iste confessus deterret, idem quoquē confirmat & recreat; sentio enim humanitatem in hac Ciuitate esse tantam; quantam in Principe terrarum populo esse deceat. Vt igitur amaui eam

b 3 antè,

antè, mea sponte, vt fœcilem, istum ac planè diuinum Felsinæ genium semper vnice colui; sic nunc multò vehementius, vestro tanto incèsus erga me studio, & vos ciues, & hæc omnia diligo: fateorq; mihi diem hunc illuxisse pulcherrimū; quo tam egregiam vestram erga me voluntatem, ac tam honorificū de me iudicium licuit experiri. At verò quia me non latet quosdam esse animo perturbatos, damnantes ætatem, & fortè doctrinam meam; ac desperantes me ad veterum illorum (quos imitaturus sum) laudem & gloriam peruenire posse: operæ precium me facturum existimo, si paucis occurrā ijs dubitationibus; & omium fluctuantes animos colligam, atquè confirmem. Dicam itaq; prius de ætate mea, quæ tametsi non adhuc matura videatur; vbi tamen opera, non corporis habitudo respicitur; superuacua videtur omnis de barba, vel annis concepta suspicio. Accedit etiam quòd præmaturè fatis hanc legendi prouinciam Senis aggressus sum; quod nec fecisse quidem doleo in sæculo tam fluenti, quo nascētes morimur, finisq; ab origine pender. Annū equidem iam iam secundum ac vigesimum ingressus sū, quo ciuilia iura publico decreto profiteor

fiteor; quod & antea per biennium priuatim assidue feceram: quamobrem fenescere mihi videor; & non obscure sentio me laboribus, vigilijsquè penè confectum; & Salerni præfertim stomachi, oculorum, capitifquè ægritudinibus mancipatum. Sed si dicam verè quod sentio, non est eadem habenda ratio ætatis, in Republica administranda; & in docendis publicè disciplinis: ad regendam quippè Rempub. deligendi omninò sunt viri graues, consilio, & longa rerum experientia probatissimi; quorum opera vti valeat ciuitas etiā domi, aut in lecto quiescentium: ad scholas verò seu studia regenda, præsertim sapientiæ ciuilis; dici non potest quā tum conferat acumen ingenij in corpore valido, ac virenti; vt studiorum laboribus (qui nimium magni sunt) comodè resistat, atq; super sit. Huiusmodi autem vix reperiri potest in viro septuagenario; contrà verò in homine quadraginta quatuor annorum, id cumulatissimè & haberi, & commendari poterit: etenim ille, suo quasi confectus lenio, contabescit, & caducam quandam maturitatem adeptus est: iste verò vigentis florem ætatis præfert, vnde plus roboris, & perspicaciæ sine in dubio sperari po-

test. De doctrina mea nihil est, quod aliud dicam; nisi quod Salernitana schola, per quindecim annos, & ultra, libenter excepit eam, & non sine aliqua delectatione probauit. Licet autem ipsa sit exilis, & exigua; ars tamen adhibebitur, & quotidiana cultione ingenium exercebitur; ita ut liceat sperare, statuto tempore, fructus vberimos, idque maturius forte quam credatur à multis. Postremum illud obijcietur, quod ego maiorum virtutem, qui hunc antea locum sustinuerunt minimè adæquabo: sed hoc non meam magis, quam omnium huius ætatis hominum imbecillitatem redarguit: est enim hoc commune vitium eorum, qui alienas operas contemplantur, ut quid factum sit, non quomodo factum a maioribus nostris considerent. At verò tantum abest, ut ex hoc vlla nobis impedimenta parentur; ut magis erigatur animus, & ingenium: magisque confidam me veterum laudè, quos tantopere admiramur, aut facile æquaturum; aut (quæ finitima gloria est) ad eam proximè accessurum. Quid enim causæ est, cur natura hoc tempore tardiora, quam olim humana ferat ingenia; quæ in omnibus suis rebus obeundis admirabilem constantiam, ad-

mira-

mirabili prorsus æternitate ruetur? Si enim nunc, & cælum naturali se se conuersione contorquet; & terra pariter suis librata ponderibus immoraiacet; si sol, & luna nunc etiam terras clarissima luce collustrant; si denique cætera omnia eodem quo antea modo à natura gignuntur; cur homines aut ad inueniendum hebetiores, aut ad intelligendum tardiores, hoc tempore, quam antea procrearit? falluntur enim qui putant, ingenia temporis diuturnitate minui: illa siquidè nulla ratione, nisi forte socordia, franguntur; neque vlla res efficacius nos docet facere, quam ut sæpè faciamus. Nihil igitur ineptius mihi videtur; quam existimare naturam ipsam, omnia sua in vno partu effudisse munera; reliquo autem humano generi sterilem, effætamque remanere voluisse. Dicam de Aristotele, ac Platone, quorum tanta extitisse in omni disciplinarum genere laus creditur; ut eos solos, quicumque Philosophiæ destinantur, attingant, eos omnes artes, omnia studiorum genera, terant trahant discerpant: dicemus idcirco, eos incredibili sua laude quemquam retardare potuisse, quominus (si ita ferat animus) ea studia prosequatur; in quibus illi summa cum laude, & maxi-

ma sæculorum omniũ assentione, versati sunt? Equidem magnos eos vtiq; viros fuisse iudico; & quos iurè omnis miretur posteritas, summo ingenio, doctrinæ, eloquentia, rerũ peritia præstantes; & (vt vno verbo dicam) summos homines: homines tamen fuisse puto, idest quos & latere aliquid potuerit; quiq; vt non omnia primi inuenerunt, sic alijs post se venientibus, plura inuenienda reliquerunt. Quàm multa enim sunt quæ eos omnes, & alios, qui proximo, longoquè interuallo subsecuti sunt, etiam quærentes latuerunt; vtrò autè sese nostris aut patribus, aut maioribus prodiderunt? nam, & æcelestium orbium numerus, & stellarũ errantium motus, multò certior est ab ijs, quàm ab illis inuestigatus, & traditus: & maris totius latitudo, profunditasquè perpensa: & terræ ipsius abditissimæ partes, quas non solum non penetravit antiquitas, sed ne adiri quidem; imò ne reperiri etiam posse existimauit; maximo consilio sunt, & præstanti animi magnitudine, à nostris peragrata. Sed non nè hoc iam tempore comparata est nauigandi ratio melior, & res ipsa militaris, ac bellica nouo quodam, & antea inaudito tormentorũ genere reddita est

in-

instructior? Quæ omnia si præspicua sunt; quis non videt perspicuũ simul esse debere, non solum eandem nobis, quæ veteribus aciem ingenij manere; sed si exercitatione acuatur, præstantiorem etiam futuram? Agendũ est igitur, nec deponendus est animus; maiorũquè facta imitanda magis, quàm admiranda sunt. Quemadmodum enim eos ipsos veteres non tanto pe-re extolleremus, si nihil ipsi fecissent: ita nos etiam debemus manus admouere tabulæ, multa tentare, multamq; operã spe profectus amittere: quia optima est illa iactura quæ maiori lucro pensatur. Quamobrem nemo debet me damnare temeritatis, quòd talem occasionem arripuerim: nemo etiam ætati, vel doctrinæ meæ conuitium facere; minus etiã desperare, quòd probatorum idest antiquorum laudem ac virtutem, aliqua saltem ex parte nõ adsequar; præstabo enim quicquid ex parte mea potero, plurima certè (si dabitur) præstiturus. Offeram enim vobis merces, si minùs communi huic vestræ animorum alacritati pares, viribus certè meis haudquaquam inferiores: illa enim postulat maiora; hæ autem mediocria tantum præstare possunt. In referenda autem vobis pro tanto

tanto munere gratia; equidem hoc repromitto, semperq; præstabo; mihi nequè vnquam in legibus enarrandis diligentiam; nequè, in audiendis studioforum desiderijs, equanimitatem; nequè in sententia simpliciter referenda fidem; nequè, in perferendis laboribus, industriã; nec in publicis, priuatifq; cõmodis augendis, grati animi significationem, ac beneuolentiam, de futuram: atquè hanc habebõ curã infixam ossibus sempiternam, vt operam vbiquè meam exhibeam petentibus, vt præstem omnibus voluntatem optimam, humanitatem sinceram, ingenuitatem verissimam: Neq; enim facetus quilibet, aut elegantiorum læstiuitate sum præditus, non is ego sum qui verborum blanditijs, hominum beneuolentiã mihi conciliare queã. Quantum verò ad id, quod mei officij videtur esse præcipuum, quod (inquam) adinet ad publicarum lectionum laborem suscipiendum, in explicandis Cæsarum Prudentumq; responsis; nihil aliud nominatim polliceor, quam quòd omni studio conabor, vt vestigia sequar antecessorum; qui tanta cum laude, tanto omnium applausu, hoc eodẽ loco iura ciuilia docuerunt. id autem & alacrius & diligentius exequar sub
cly-

clypeo Iulustrissimorum ac Reuerendissimorum Cardinalium Præfectorum; de quorum virtutibus, bonitate, prudentia, sanctimonia, rerum omnium experientia, non est quòd multa dicam, tum quia præsentibus sunt, & proprias abhorrent laudes, viri sumæ modestiæ; tum quia mihi maximè verendum est; ne videar eis mala mente detrahere; siquid inconsultus ommitterem. Ad vos ergo sermonem meum conuertam (quotquot adestis, studiosi Iuuenes) rogans ex ipsis visceribus, vt æqui boniq; consulatis, quicquid ab initio præstabimus; nec statim conferatis cum expectatione præsentiam; sum etenim eius ingenij, vt maximè cupiam formari ad captum vniuscuiusq; atquè ideò nihil auidius expecto, quam vt inoneatis, quemadmodum in enarrandis legibus, valeam omnibus satisfacere. Vobis omne meum studium, officium, laborem, diligentiam, quantum deniquè ingenio, atquè industria efficere possum, polliceor ac defero: quod quidem tum mea spontè facio, qui totus à vobis pendeo: tum vestro quoquè tanto de me iudicio incitatus; Musis etiam ac diuinis numinibus, quorum in templo sumus, id a probatibus. Eos itidem oro, atquè obsecro; vt quod
ad

ad me audiendum hodierna die studium adtulistis, id in perpetuum conferuetis, & augeatis. Visitetis (quæso) frequenter auditorium; existimantes doctiorem sanè professorem potuisse vos habere quemlibet; amantiorem verò neminem. Hoc verò tum alijs de causis vobis censeo faciendum esse; tum ne aut eorum, qui me huc aduocarunt, aut eius qui accersitus est, animus, vestra vlla tarditate debilitetur. Ego sanè vigilabo mea sponte (vt dixi) pro vestra utilitate libenter: eoquè certè libentius, quòd intelligo me ità à vobis audiri, vt quantū in vobis utilitatis ex meo labore; tantum in me laudis ex attentione vestra redundet. Vobis verò (Senatores sapientissimi) nūquid gratias quas debeo imortales agam? num beneficentię vestrę magnitudinem commemorabo? quorū in me studia fecere, vt in vetustissimo, ac nobilissimo, vetustissime, ac nobilissimę ciuitatis gymnasio profitear; in quo auditores accipio nobilissimos, natura, ac moribus optimè institutos: quo nihil vnquam optatius nihil foelicius laudatissimo cuiquè professori contingere potuisset? Idquidem agnoscere munus, est mihi sanè facilimum, exequi autē, vel præstare penitus impossibile.

sibile. Quid ergò faciam? ago vobis gratias, non tamquàm orator splendidus, sed veluti memor beneficij recepti, animo vberiores, quàm oratione. Ago gratias mente, vultu, gestu, corpore, actu, habitu, omni loco, omni tempore; tacendo maiores quàm loquendo: redditurus etiam ingentes, si vnquam licebit. Vobis etiã immortales debeo Illustrissimi, ac Reuerendissimi Præsules; quod me sublimia humiliter, ampla tenuiter, illustria inornatè tractatē, equanimiter ac benignè sustinuisistis: reddere autem vel compensare, cum vlla ex parte non

valeam; Deum Opt. Max. assiduè

precarì non desinam; vt mi-

hi foelicem huius pro-

uincię cursum,

vobis au-

tem

desiderabilia cuncta largia-

tur semper atquè

concedat.

Dixi.

FINIS.

